

iterum trajecerunt, ut reipublicæ copias aggredierentur: quod tamen facere neque tum quidem sunt ausi. qua in re cognosci potuit, sane justas Pauli legati querelas fuisse, cum dolenter sæpe diceret, Julianos duces vincere non posse: si enim secum, ut ipse cupiebat, eisque proponebat, conjuncti ad hostes persequendos se comparavissent, profecto Galli deleri una pugna potuissent. quo facinore confecto Ferrariam capere Julio non magnopere difficile fuisset, quacunque is a parte cum utroque exercitu in ejus se fines intulisset. nunc se relictum, qui unus neque integris copiis Gallorum impetum exciperet: præfectos enim equitum tres una cum Julii ducibus eo miserat, unde repulsi ab Alfonso cum detrimento ignominiaque fuerunt, pauloque absuit quin etiam caperentur. Sed Galli nulla molestia Paulo adhibita, cum ad Padum se contulissent, submissis Alfonso secundo flumine auxiliis militum non plurimorum, unde discesserant redierunt: Magnusque eorum magister Regii febris confectus mortem obiit, cum ab Julio veniam totius suæ vitæ criminum missis ad eum internunciis impetravisset. Itaque unus eorum ductor atque imperator Triultius deinceps fuit. Atque illis ipsis diebus Marinus Georgius, multæ philosophiæ vir, quem legatum apud Bergomates agentem in clade exercitus anno superiore Galli captivum fecerant, atque in Galliam perduxerant, in custodiaque una cum Liviano habuerant, fide illis data intra sex menses vel pecuniam quam petebant, ut eum liberum facerent, se eis missurum, vel in Galliam atque in custodiam reversurum, Venetias venit. Vanissa Thrax equites septuaginta secum dicens, ab exercitu Pauli legati missu profectus, ut quid hostes molirentur circunspiceret; cum eorum militibus quamplurimis, in quos incidit, congressus, imperfectis plus centum triginta, quos captivos fecerat, Franciso Mariæ imperatori dono misit.

Ea dum administrantur, ad diem septimum calendarum aprilium in urbe terra tremuit motu tam vehementi, ut Senatu, qui habebatur, ante ullam latam legem præter